DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

DYSPEPSIA

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ZECHARIAS SILLAR,

SCOTUS,

CHIRURGUS.

Though I look old, yet I am strong and lusty;
For in my youth I never did apply
Hot and rebellious liquors to my blood:
Nor did I with unbashful forehead woo
The means of weakness and debility.

As you like it.

Ad Calendas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI SUO CARISSIMO,

DAVIDI SILLAR,

ARMIGERO,

DE IRVINIA, IN COMMITATU AËRENSI;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO GRATO PERMOTUS, PRO BENEFICIIS

MAXIMIS,

QUORUM MEMORIAM IMO PECTORE ALITAM,

DUM VIVIT SEMPER FOVEBIT,

SACRUM VULT

FILIUS.

JUVENI INGENUOSO,

ARCHIBALDO YOUNG, M. D.,

IN RE MEDICA

SUO CONDISCIPULO;

HANC DISSERTATIONEM,

PIGNUS AMICITIÆ,

SACRARE

VULT

AUCTOR.

15

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

DYSPEPSIA

COMPLECTENS.

Auctore Zecharia Dillon

QUÆDAM PRÆFANDA.

HOMO viribus nobilibus et animi et corporis præditus, et perfectissimus omnium animalium, haud dubiè existit. Totus orbis terrarum ejus inopiis ministrat, vel voluptatibus inservit. Ætate tamen progrediente, vel in negotiis vel in cultu animi, multis et lethalibus morbis obnoxius est. Nam illecebris voluptatis captus,

A vel

vel monitorum salutarium rationis immemor, valetudo, optimum donum Dei, haud infrequenter corrumpitur vel prorsùs perit. SYDENHAMUS postquam dixit, "Morbi acuti Deum habent "auctorem, chronici ipsos nos." Morbos longos longè plurima mala quibus genus humanum subjicitur constituere observat. Inter hæc, nulla quàm affectiones ventriculi sæpiùs occurrunt. Nec hoc quidem est mirandum, si luxuriam et intemperantiam in quibus plurimi homines vivunt, nobiscum reputemus. Quod ventriculus organum est maximâ sensibilitate præditum, inter quem et alia munera vel remotissima, mirus consensus intercedit, hæc aliquo modo affecta, functiones illius quoque afficiunt.

In nullo morbo hic consensus manifestiùs quàm in Dyspepsia, de qua consilium est mihi disserere, et quamplurimi varii morbi semper comitantur, patet.

DEFI-

DEFINITIO.

PRIORES nosologi, nempe SAUVAGESIUS, LINNÆUS, et SAGAR, de Dyspepsia nihil scripserunt, utraque cujus signa pro morbis recensebantur. VOGELIUS ita definit, "Tarda et difficilis concoctio." CULLENUS autem, omnium nosologorum optimo jure princeps, hanc definitionem edidit, nempè:

"Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, "ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora "saltem vel plura horum simul concurrentia, "plerumque cum alvo astrictâ, et sine alio vel "ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo."

HIS-

HISTORIA.

In primis ætatibus, scriptores de re medicâ, nulla exempla hujus morbi præbent. Causa patet, quòd inter rudes homines, cùm vitam venando tolerarunt, vel in studiis belli occupati sunt, nec luxuria nec inertia valebant, nec imperium suum grave in homines exercebant. Philosophos istorum seculorum viribus et animi et corporis polluisse nobis fertur. Socrates et Plato ardorem et algorem impunè pati potuerunt; et Xenophon ob peritiam belli, pariter ac elegantiam et simplicitatem in rebus gestis memorandis, præclarus est.

In temporibus igitur recentioribus, cùm homines, relictis occupationibus laboriosis vitæ rusticæ, artifices pro agricolis fiebant, et ad magnas urbes, ubi luxuria et intemperantia valent, confluebant, morbus de quo agitur, in forma sua gravissima apparebat.

In

In hisce temporibus, igitur, utrumque sexum pariter, sed viros præ fœminis invadit. Ineunte ætate, nisi cum nutrix est in vitio, et tunc naturæ plerumque est perbrevis, rarò occurrit. Juvenes præ senibus, præsertim inter ætatem pubertatis et quadraginta annos, ei maximè proclives esse videntur. Artifex sedentarius et homo literarum cupidus, qui animos ad studia sua nimis intentè dirigunt, ab ejus impetibus rarò immunes sunt. Sed sæpissimè helluonem angore excruciat, et comessatori nocturno calamitates quæ vitam ipsam onus ei reddunt, infert. Hic morbus, in diversis hominibus, et etiam varia signa in iisdem hominibus diversis temporibus, induit.

His perpensis, reddere conspectum accuratum et succinctum omnium horum, non facile esse patet ; sed illa quæ dignissima sunt notu, pro virili parte exponere conabor.

In plerisque casibus, hic morbus paulatim serpere solet, et in regione ventriculi dolor obtusus, aliquando

aliquando acutus, sentitur; sensus plenitudinis et gravitatis, distensionis et inflationis, quæ ructu maximè levantur; anxietas circa præcordia post pastum, sensus angustiæ circa fauces: anorexia, et etiam fastidium cibi: lingua sicca, et muco albido et viscido obducta: spiritus fœtidus: nausea et vomitus materiæ acidæ et acris, qua fauces et dentes multùm exasperantur.

Morbo ingravescente, dolor ventriculi gravior fit, cui calor accedit: totum abdomen magnoperè auctum et distentum est; alvus ferè semper tarda et astricta, rarò soluta existit. Vires corporis multùm minuuntur: sensus languoris et lassitudinis, cum doloribus vagantibus per totum corpus, et subitò spasmi torquentes, pressurâ levati accedunt. Dolor capitis et vertigo valdè angunt. Pulsus debilis et tardus est, cutis arida, facies et labia pallescunt; Respiratio celer et anxia, levissimo motu tussis et palpitatio ingruunt. Denique, cùm morbus inveteratus, gravis et longus factus est, æger marcore, debilitate et impotentiâ corripitur: nunc minimus

labor

labor fatigat, artus et manus tremunt, et motus non tolerari potest. Cùm surgere conatur, syncope sæpe supervenit, oculi hebetes et languidi evadunt, labra pallida, facies multùm extenuatur, et omnia in pejus ruunt.

Sed Dyspepsia formam adeò malignam raò induit, priùsquàm scirrhus pylori, hydropes, et alii morbi, vix et ne vix quidem sanandi, inducuntur.

DIAGNOSIS.

NEGLIGENTER observanti, constat, ut Dyspepsia quamplurima habeat signa quæ multis aliis morbis communia sunt. Diagnosis non semper manifesta, imò aliquando est obscura. In praxi igitur sedulò attendere et solertè distinguere inter morbos qui alii alios adeò referunt, summi est momenti. Morbi quibuscum hic morbus confundi potest, sunt Hepatitis Chronica,

Chronica, Podagra, Scirrhus Pylori, Chlorosis, et Hypochondriasis. Ad Hepatitidem chronicam hic morbus magnam habet similitudinem, et medici magni nominis errorem ingeniosè confessi sunt. Tamen in hepatitide chronica, dolor vel plenitudo in hypochondrio dextro plerumque sentitur, et dolor pressura vel cubando in latus sinistrum, semper augetur. Quin et febricula, alia signa quibus Dyspepsia distingui possunt, comitetur.

Labes hæreditaria, subitus impetus, cum magna violentia, signa quibus Podagra atonica e Dyspepsia dignosci potest, præbent. Sed hoc non pariter refert, quod utræque iisdem causis excitantibus inducuntur, et iisdem remediis curantur.

Hypochondriasis in illis temperamenti melancholici occurrit, et curis et metibus iisdem continuò vexantur. In Dyspepsia animus non prorsùs afficitur, et in illis temperamenti sanguinei

guinei accidit. In illa, afficit illos ætatis provectæ, hâc, ultra annum quadragesimum rarò occurrit.

Scirrhus Pylori dolore fixo et constante in hypochondrio dextro dignoscitur; et tumor descendens ventriculi inanis infra umbilicum, et vomitus gravissimi, una vel altera hora post cibum sumptum, sentitur. Sed tamen HEBERDEN de hominibus quibusdam qui quicquid in ventriculum sumpserunt semper vomuerunt, in quibus, post mortem, nullum signum morbi vel in ventriculo vel intestinis detegere potuit, mentionem facit *.

Retentio mensium cum debent occurrere, desiderium rei non esculentæ, Chlorosin satis distinguunt.

* HEBERDEN, cap. 99.

RATIO SIGNORUM.

Anorexia.—Nobis reputantibus de quo appetitus pendet, anorexiam ex secretione minuta succi gastrici oriri videtur. Nam in febribus, in quibus ferè omnes secretiones, et igitur succus gastricus, magnoperè imminuuntur, hæc affectio maximè valet. Sed febre abeunte, omnibus secretionibus restitui incipientibus, appetitus redit, et tum bona concoctio adest.

Nausea et Vomitus.—Hæc ex iisdem causis oriri videntur. Quicquid teneram tunicam villosam ventriculi irritat, actionem inversam ejus organi excitat, et nausea inducitur, atque materiæ acidæ statim expelluntur.

Inflatio et Ructus.—Cùm cibus qui in ventriculum sumitur non facilè concoquitur, in fermentationem tendit, ex quo aër impurus generatur, et cardiam irritat, actionem inversam œsophagi excitat, et per os expellitur.

Cardialgia.

Cardialgia.—Hæc est dolor ardens circa os superius ventriculi, et ex aciditate ibi fermentatione excitata quæ cardiam irritat, accidit. Quia dolor antacidis valdè levatur.

Gastrodynia—est dolor pungens et constringens, intervallis aggrediens, ex affectu spasmodico fibrarum tunicæ musculosæ ventriculi oriens. Dolor pressurâ levatur, et usu libero antispasmodicorum tollitur.

Alvus astricta.—Magnus consensus inter ventriculum et intestina intercedit ; et cùm hoc organum debilitatur, illa quoque fiunt torpida, et contenta sua difficilè propellunt. Consensus quoque inter hoc organum et hepar existit, quo bilis minus copiosè secernitur, et intestina solito stimulo qui adeò est necessarius ad suum munus probè fungendum, privantur.

Dolor Capitis.—Consensum inter cerebrum et ventriculum intercedere, cuique notum est. Nam in injuriis capitis, ventriculus semper afficitur,

ficitur, et experientiâ illos laborantes affectione ventriculi, dolore capitis quoque affici, docemur.

Anxietas.—Hujus rationem GREGORIUS celeberrimus luculenter docuit in his verbis: "Genus quoddam anxietatis .... molestissimæ, oritur a stomacho et intestinis, vel multi crudi atque corrupti cibi potûsque onere gravatis, vel aëre per concoctionem minus sanam extricato distentis. Tali onere vel distentione, ventriculus, organum delicatissimum, malè afficitur *."

PROGNOSIS.

Eventum morborum prædicere, difficillimè habitum est; nam magna varietas symptomatum

* Vid. Con. Med. Theoret. GREG. CXC.

tum in hominibus diversis, ab ætate, sexu vel temperamentis variis corporis, oritur, quæ singulos morbos multùm variant. Igitur est solertis medici singulas res secum reputare, et si aliquid dubii adsit, silere potiùs quàm incertam opinionem reddere, præstat.

Tamen quædam semper adsunt, quæ nos formantes prognosin dirigere possunt. Si morbus non diu perstiterit, et æger juvenis, et constitutio ejus morbis prioribus non corrupta, vel debilitata fuerit, eventum ferè faustum licet nobis expectare.

Sed si morbus per longum tempus, resistens omnibus nostris remediis, proctractus sit ; si palpitatio vexet, marcor totius corporis accedat, multum debilitatis et febris hectica superveniant, procul dubio, faustus eventus minimè est expectandus.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Hæ sunt variæ et multiplices, et ad tria genera apta referuntur, scilicet, illa quæ in ventriculum ipsum agunt, et illa quæ totum corpus, et tunc consensu illud organum debilitant. De paucis eorum opus sit loqui separatim, et hoc quàm brevissimè perficiam.

(a.) Ingurgitatio nimia.—Illas nationes qui epulas indulgent, et plurimos cibos edunt, cruditati maximè proclives esse, observatum est, dum illi qui uno genere cibi tantùm vescuntur, ab hoc incommodo prorsus sunt immunes. Allectus varietate, homo sæpe multo plus quàm potuit, si uno genere cibi tantùm uteretur, devorat, quo ventriculus maximè fit distentus ; et tali distensione, fibras musculosas hujus summi visceris vim contractilem perdere, et expellere

contentâ

contenta nequire, omnibus notum est. Hinc functio digestionis multùm imminuta est.

(b.) Liquores spirituosi.—Habitui pravo immodici potûs liquorum hujus generis, morbus tam latè grassans tribuitur. Poculis inebrietantibus, ventriculus et totum corpus, maximè excitantur. Facies fit rubra, pulsus frequentior fit, mens exhiliratur. Sed languor et debilitas quibus totum corpus fit debile, et quodque munus multùm læditur, et omnia signa ventriculi læsi in multis aliis morbis clarè videntur, citò accedunt. HEBERDEN in illis verbis justè observat: "Ebriosi solent tandem pati, fastidia, "vomitus matutinos, inflationes, maciem, debi-"litates, tremores, dolores ventriculi, icterum, "hydropem, memoriæ et attentionis defec-"tionem, vertiginem, alvum fusam, somnosque "breves et tumultuosos *."

(c.) Narcotica.

---

* Vid. HEBERDEN. Commentar. De. Morbor. Histor. et Curat.

(*c.*) *Norcotica.*—Ex plantis hæc sunt præcipua, nempè Nicotiana Tabacum, Thea, et Opium.

Nicotiana.—Hæc herba amarissima in variis modis, uterque horum æqualiter est perniciosus. Plerumque, magnum stimulum cui plurimum debilitatis accedit, excitat. De hoc nemo dubitare potest, qui effectus cataplasmatum in ventriculum, vel enematum in certis morbis, vidit. In os sumpta secretiones salivales auget, ejectio quarum concoctioni aliquo maximè necessario ventriculum privat; eosque qui nicotianâ utuntur, de debilitate ventriculi multùm queri sæpe observatur.

Nec infusiones *Theæ* in magna quantitate sumptæ et calidæ, generi nervoso haud minùs lædunt. Nam calor humiditati junctus corpus vivum maximè solvit, atque ideo omnes potus calidi in ventriculum sumpti eum multùm debilitant.

Opium

Opium,—cautè exhibitum, medicamentum præclarum, summum levamen dolori præbens, existit; sed eo continuo sumpto, valetudo prorsùs corrumpitur, quòd non solùm quodque munus corporis, sed quoque omnes vires animi, impediens. RUSSELL de usu opii immodico inter Turcos, hæc verba habet: "The immediate effect which I observed it to have upon such as "were addicted to its use, was, that their spirits were exhilirated; and from a dozing depressed state, they became active and alert. "The consequences of a long use of it, are, "that they soon look old and emaciated, like "such as in Europe, have ruined their constitutions by hard drinking *."

CAUSÆ EXCITANTES.

Ignavia.—Lex est constitutionis, exercitatione corpus firmum et robustum, mentem quoque

* Vid. RUSSELL's History of Aleppo.

que actuosam, et appetitum bonum, fieri: modo simili, ignaviâ, vires corporis languidæ et debiles evadunt, mens tristis et appetitus magnoperè imminutus. Vita ignava generalem relaxationem solidorum inducit, atque nos proclives plurimis malis, et corporis et animi, reddit: et omnes functiones, pariter animales ac vitales, et illa digestionis imprimis, valdè imminuuntur. Hoc in illis artibus vitæ in quibus exercitatione corporis non opus est, et in illis, qui laboribus rusticis occupantur, patet. Van Sweiten optimè dicit: "Dum duro labore "victum sibi et suis comparet rusticus, quàm "firma habet omnia, quàm robusta! Omnes "aëris injurias spernit, durissimos vorans cibos "digerit perfectissimè. Otio et luxus perdi-"tus homo, quàm debilis, quàm miserè vivit! "Minimam aëris ambientis mutationem sentit "illico, et millenis gulæ irritamentis, quæ "satietas non fames invenit, vix potest langueri-"tem excitare ventriculum."

Studium nimium.—Nimiam attentionem literis adhibitam, digestionem sæpe impedire, nihil dubii

dubii restat. Nam illi illarum cupidi, pallidi, debiles et hebetes brevi fieri, appetitumque perdere, solent. Quàm multi qui decori societati fuisse potuissent, hoc nimio studio, quod vires corporis labefacit, et dyspepsiam multaque alia mala, inducit, immaturè pereunt.

Motus animi.—Quantum effectus hi in corpus et totum genus nervosum excercent, neminem latet. Mœrore vel luctu existentibus, appetitus jam minuitur, et omnia munera corporis multùm turbantur. Effectus amoris desperati, in omnes functiones corporis, poëta celeberrimus SHAKESPEARE * pulcherrimè descripsit in versibus sequentibus:

" She never told her love,
" But let concealment, like a worm in the bud,
" Feed on her damask cheek ; she pin'd in thought,
" And with a green and yellow melancholy,
" She sat, like Patience on a monument,
" Smiling at grief."

Venerem

* SHAKESP. *Twelfth Night.*

Venerem immodicam ad hunc morbum inducendum, debilitando vires animi, et solvendo totum corpus, valere, CELSUS nos certiores reddit. Ejus verba sunt : " Concubitus rarus corpus excitat, frequens solvit *."

RATIO MEDENDI.

HUJUSCE in curatione, consilia medendi tria sunt :

I. Causas excitantes evitare.
II. Signa molesta mitigare.
III. Ventriculum et totum corpus roborare.

PRIMO. Evitare causas excitantes, in curatione omnium morborum est summi momenti; absque attentione ad hoc adhibita, omnia remedia

* Lib. i. cap. 1.

media inutilia habeantur. Medico igitur ægros suos, illas cavere, semper monendum est. Si luxuriæ, intemperantiæ, pravæ rationi vivendi dediti sunt, hæc prorsùs sunt relinquenda. Si cupiditas literarum eos omittere spatium quod somno oportet tribuere, et totas noctes ad mentem scientiâ imbuendam degere inducit, hoc, quamvis in se dignum laude, est relinquendum quum noxium est sanitati; et somno per totam noctem est indulgendum, et ægri surgere multò manè, et se sub divo exercere, debent.

Si curæ solicitæ animum vexant, et mœror atque anxietas mentem inter tenebras noctis perturbant, hæc, miscendo in societate, et sermonem quorandum amicorum jucundorum seligendo, sunt tollendæ.

Denique suo vigori animi, evitando causas excitantes, quàm viribus ullius remedii, oportet ægrum magis fidere.

Secundo. Diversa remedia consilio levandi signa molesta, secundum varia signa, usurpare oportet: pauca horum recensebo.

Nausea et vomitus.—Si hæc ex alimentis corruptis in ventriculo oriri sunt putanda, sunt conatus salutares naturæ, et igitur vel aquâ calidâ, infuso chamæmeli vel ipecacuanhæ, ut ventriculus ex onere noxio levetur, sunt adjuvanda. Sed si hæ cruditates lenibus emeticis non tollantur, cathartica proderunt; et effectus debilitans frequenter vomendi evitari potest. Quin et si post ventriculum perfectè depletum, et vomitus irritans adhuc manet, hic opio, in forma pilulæ, haustu effervescente, aquâ lavandulæ seu menthæ, et variis aliis stimulis, levari potest. Sed si hæc spem nostram eluserint, rubefacientia et vesicatoria ad regionem ventriculi admota, sæpe conveniunt; vel fortassè opiatum, modo clysmatis exhibitum, magis proderit: tamen casus in quibus omnia remedia inutilia sunt, occurrunt.

Cardialgia.

Cardialgia.—Hæc affectio ex acore in ventriculo oriri inter plerosque convenit ; et ab antacidis, quæ constant ex alcalibus et terris absorbentibus, optimè levatur. Ex illis sunt aqua supercarbonatis potassæ, vel aqua supercarbonatis sodæ, quæ gratæ sunt gustui et utiles. Sed terræ absorbentes frequentiùs exhibentur, ut carbonas calcis vel magnesiæ, aut magnesia ipsa ; ultima quorum non tantum corrigendo aciditatem, sed alvum quoque leniter solvendo, maximè prodest.

Gastrodynia.—Hæc plerumque spasmo tribuitur, et ipse cum priore affectu alternans, vix aliis remediis nisi antispasmodicis, quorum optimum est opium, cedit. Oxidum bisthmuthi, a nonnullis multùm laudatur, sed aliis nulli boni effectus ejus visi sunt *.

Alvus astricta.—Hoc signum vehementissimum omnia signa Dyspepsiæ maximè augere pollet ;

* Audi prælect. Prof. Home.

pollet; et a laxante et idonea diæta, magis quàm medicamentis acridis et purgantibus, debellandum est; nam hæc effectum debilitantem in ventriculum sedem morbi, semper inducunt. Lenia igitur cathartica cùm necessaria sunt, acridis semper sunt anteponenda. Cujus generis sunt folia cassiæ sennæ, sulphur, magnesia. Tamen cùm alvus astricta non ab his tollitur, ad submuriatem hydrargyri, convolv. colocynth. radicem convolvuli jalapæ, vel aloë, pil. rhei comp. et similia, est confugiendum.

Tertio. Ad tertium consilium persolvendum, tonica et astringentia validissima existimantur; qualia sunt, radices gentianæ et colombæ, cortex aurantiorum et cinchonæ. Sed hæc sine intermissione per longum tempus non sunt exhibenda; nam diu continuata, maximè nocent. Præparationibus ferri magna vis roborandi ventriculum quoque inest. Aquæ chalybeatæ eundem effectum quoque inducere apparent.

Acidum

Acidum sulphuricum dilutum magno cum commodo quoque exhibetur. Cibus debet esse lautus, facilis concoctu, ex carnibus potiùs quàm vegetabilibus constans. Potus ex aqua pura constare debet ; sed si stimulo opus est, vinum dilutum, pro quo, si minùs ventriculo conveniat, alcohol multùm dilutum. Sed hoc exhibeatur parcè, et magna cum cautela sumi debet. Omnes exercitationes animi sunt evitandæ, et hic placidus, tranquillus, et haud turbatus est servandus.

Sed conatus ad curandum hunc morbum, absque exercitatione idonea et aëre puro, sunt inanes. Gregorius igitur, de hac re disserens, sic loquitur :

" Quod idoneam corporis exercitationem at-
" tinet, pro remedio roborante omni laude
" major est, cùm ad tuendam sanitatem, si hæc
" naturâ bona est, tum ad reficiendas et reno-
" vandas vires, si hæ, vel morbo, vel pravo vi-
" tæ genere, vel aliis fortassè minùs manefestis

 " causis,

" causis, fractæ et exhaustæ fuerint; tum quo-
" que ad sanandos plurimos morbos, qui a de-
" bilitate, vel generali vel speciali, suam origi-
" nem ducunt, vel quorum saltem debilitas pars
" magna est *." In omnibus autem, " exer-
" citationibus et gestationibus, quas pro robo-
" rantibus remediis præscribere cupimus, hoc
" præ omnibus usque observandum est, ut
" ægrotantium viribus ita accommodentur, cùm
" quod ad vehementiam, sive naturam, tum
" quod ad tempus seu continuationem earum
" attinet, ut neque multum sudorem eliciant,
" neque magnam defatigationem relinquant †."

" Denique, omnis exercitatio atque gestatio,
" sub pleno jove, et in aëre puro, et sicco,
" et frigidulo, fieri debet. Bonus enim aër
" ipse, inter efficacissima roborantia remedia,
" jure habetur ‡;" utpote qui, ut alibi ait
idem, " Aër enim purus venenatam illam me-
" phitim

* Greg. Consp. MCIII. † Id. MCXII. ‡ Id. MCXIII.

"phitim quam sanissimi etiam homines, et "multò magis ægri, a pulmone et cute usque "exhalant, aufert et per auras diffundit, donec "tandem, depositâ vi suâ pestiferâ, et ipsis et "aliis innoxia fiat *."

Denique, quidam affusionem frigidam optimo fructu præscripserunt.

* Greg. Consp. mxxxiv.

FINIS.